

DE DOMINIS DOMORVM IN  
De domino tertiae domus,in duodecim domibus.



OMINVS tertiae in prima si fuerit, natus erit melior fratribus suis, uel erit sine alijs fratribus, eruntq; fratres eius probi, & bonum ab eo habebunt, & significat nato multa itinera.

In secunda si fuerint, rixabuntur fratres cum eo propter eius substantiam, & hac de causa ei negocium facient, & dat ei iter in causis officiorum.

Si fuerit in tertia, iuuabunt & defendent eum fratres sui, & eorum plures erunt mali, & sexus uirilis, uel faciet iter in causis solatij, & propter naturalem ad hoc inclinationem.

Si fuerit in quarta, auferent fratres substantiam patris, & separabunt se cum eo, & consanguinei sui erunt coniunctiores fratribus suis, faciet itinera in causis possessionum, uel rerum immobilium, & habebit fratres, qui post se nascentur.

In quinta si inueniatur, habebunt fratres itinera multa, & suis met filijs conga debunt, & forte habebit fratres in loco extraneo, peraget iter in causis lœtitiae, conuiuij, & gaudiorum.

Si fuerit in sexta, natus cum fratribus mutua exercebit odia, & iniurias par relatas paribus.

Si fuerit in septima, aliquis fratum nati copulabitur mulieri, cum qua concubuit natus, & ex ea filium habebit, uel itinera faciet in causis operum & coniugiorum, uel erit sine alijs fratribus.

In octaua, significat malum statum fratum & modicam uitam, & quod ille natus superstes erit mulieribus suis, faciet itinera in causis fugæ pestis, uel propter aliquid homicidium & mortem.

Sifuerit in nona, fratres nati copulabuntur cum extraneis mulieribus in locis etiam extraneis, & illic habitabunt cum eis, faciet itinera in causis poenitentiae & gratiae Dei acquirendæ.

Si fuerit in decima, morientur fratres, nec durabunt, habebuntq; inter se inuidiam, uel habebit fratres se maiores, itinera faciet in causis prælaturæ, magisterij, honoris uel officij.

Si fuerit in undecima, fratres amici erunt nato, faciet itinera ut possit inuenire locum fortunatum & prosperum.

Sifuerit in duodecima, fratres erunt inimici nato, & peruenient ad gradum, ita quod poenitebit eos fratis, faciet itinera in causis inimicorum.

De domino quartæ domus,in duodecim domibus.



OMINVS quartæ in prima, significat fortunam ex cultu terræ & fructibus, uel per ingenium & consilij profunditatem, significat etiam quod natus erit melior omnibus sue stirpis, ac parentibus suis, & quod natus prosperabitur in rebus immobilibus, ædificijs, structuris, agris, uineis, hortis, & similibus, & quod pater nō abhorrebit filiū, & erit parentum suorum honorator & benefactor, habebitq; dominiū sup ceteros sue progeniei.

In secunda, significat quod parentes habebunt diuitias & bonum statum, & erit natus magis honoratus suis fratribus à patre & matre, significat etiam, quod natus à profectu emat & uēdat domos, & res immobiles, si quod care uendat & bene emat.

In tertia si fuerit, habebit fratres de quibus pater impedimentum habebit, significat etiam quod res immobiles accident nato in causis hæreditatum, seu item, seu à fratribus.

In quarta, significat fortunam ex cultu terræ, & fructu per causas patrum, & per res